

nio ad militiae munera obeunda idoneos existimarent, ad se 1524
trahebant, ut in eorum manibus quidquid, vel peditum, vel
equitum roboris erat, reponeretur. Hos Principes, ac Respu-
blicae summa vi auri illectos, annuisque stipendiis obstrictos
copiis præficiebant: illorum ductu, atque auspiciis limites non
modo tuebantur, verum aliquando provehebant: inde Pici-
nini, Sfortiæ, Fortebracci, Carmaniolæ fluxere, qui egregie
militiae muneribus functi memoriam in omnem posteritatem
propagarunt, humilique loco, abjectis parentibus orti, virtu-
te sibi ad summos honores, atque imperia gradum fecere.
In ea tempora cum Respublica Veneta incidisset, ubi terrestre
imperium laudi maritimæ adjunxit, a procerum rerumque pu-
blicarum, quæ tunc in Italia florebant, exemplis non abhor-
rens, gravissima bella exterorum Ducum auspiciis gessit:
cum interea, quæ ad classes, bellicosque maris apparatus,
totamque navalem rem spectarent, civium virtute, ac disci-
plina administrarentur, quam, veluti propriam, cum Repu-
blica ortam, atque ab illius incunabulis exceptam majores no-
stri per varias temporum successiones posteris transmisere,
nullamque maris oram, vel procellis infestam, vel piratis in-
famem, formidandam uspiam censuerunt: opes, atque impe-
rium a parvis initii ad summam amplitudinem perduxere.
Neque vero dubium videtur, ita si tempestates tulissent, quin
plurimi bellica virtute, rerumque gestarum fama noti cives
terrestribus pugnis præesse, neque minoribus terra, quam ma-
ri præclaris facinoribus Rempublicam illustrare potuerint. Ve-
rum ea, quæ arduis rerum maritimarum casibus, periculis,
ac laboribus probata virtus enituit, ad continentis imperium
adipiscendum, aut augendum Veneti minime utendum rati,
a veteri instituto nunquam recessere, neque decursu temporum
confirmatum immutari voluerunt. Quo fit, ut vani illi me-
tus penitus a Venetorum magnanimitate alieni existimandi sint,
quibus plerique pernotos exteris magis, quam civibus terre-
stres copias committere solitos fuisse sibi persuaserunt; cum
ingentes classes milite refertas eisdem tradiderint, atque in
triumphi morem præliis redeuntes in civitatis sinum hostium
manubiis onustos exceperint. Verum, ut ad institutum rever-
tar, Metaurensium Duce imperatore declarato, Joanni Fulgo-